



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXVII. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

dícti tenorem ad suam scientiam referri ad dispi-
ciendum, an puniri vel non puniri debeat: ergo
non absolutè remissit pœnam. Deinde licèt gene-
rosi animi, Principe digni, sit remittere injurias,
cónvenit tamen subinde pœnam exposcere ad ma-
ledicentiam hominum compescendam; &, quan-
do maledicta seditionem vel rebellionem concita-
te possent, & sic ad crimen læsæ Majestatis perti-
nent, etiam oportet graves pœnas sumere. Ad 2.
Pontifex non loquitur de eo, qui sibi suæque per-
sonæ maledicit, sed Sedi Romanæ ac Apostolicæ,
vel quæ Pontifici, ait enim: *verba quædam in de-
pressionem officii & beneficii nostri protulit: quod
omnino plectendum est, ne de cætero contra Ro-
manam Ecclesiam in talia verba prorumpant*, uti
Papa subjungit. Et hinc *c. 1. cit.* non adversatur *l.
un. cit.* Ad 3. Licèt Judex litigantem, à quo inju-
riâ afficitur in Judicio, possit in continenti punire
ob hoc delictum notorium ad tuendam aúthorita-
tem suam, qua pollere debet in Judicio; convenien-
tius tamè extra hunc casum pœna ab alio irrogatur.

TITULUS XXVII.

*De Clerico excommunicato, deposi-
to, vel interdicto ministrante.*

SUMMARIUM.

1. 2. Clericus in censura exercens Ordinem quas
pœnas incurrat.

Hic agitur de gravi peccato, quo Clericus
se obstringit, si aliquâ censurâ, *excom-
municationis, suspensionis* (hæc enim ve-
nit

nit quoque in Rubrica per *depositionem*) vel *interdicti* innodatus ministrat, h. e. actum *Ordinis* quâ talis proprium exercet, v. g. celebrat *Missam*, absolvit à peccatis, baptizat solenniter, benedicit nuptias, cantat *Evangelium* cum *Dalmatica* in *Missa* solenni &c.

- 2 Dico. Clericus, in Majoribus constitutus, qui sciens, se esse *excommunicatum* (licet toleratus sit) *suspensum*, vel *personaliter interdictum*, culpabiliter exercet actum *Ordinis* proprium, vel in loco *interdicto*, licet ipse *cenfuratus* non sit, sic puniatur.
- I. Fit ipso facto *irregularis*. 2. Potest deponi, & privari *beneficiis* habitis. Pars prior constat ex c. 9. & *fn. h. t. c. 1. de sent. & re jud. in 6. c. 11. c. 20. de sent. excom. in 6.* Pars posterior ex c. 3. & *h. t. Dixi, culpabiliter.* Unde has pœnas non incurrit, qui ex ignorantia *cenfuræ* ministrat, vel urgente necessitate, v. g. si moribundo sit danda *absolutio* vel *sacra synaxis*, vel ad *declinandum scandalum*, *infamiam*, aut aliud malum grave, vel si toleratus ad *requisitionem* *fidelium* ministrat.

Objic. I. Si Clericus *cenfuratus* ministrat in *Ordine* incurrit dictas pœnas, etiam incurret *Minorista* exercens actum sui *Ordinis*, vel exercens actum *Ordinis* superioris, quæ nondum habet. 3. vel *Sacerdos* exercens actum *Ordinis* *invalidè*, ut si celebret in aqua, sine intentione &c. sed hæc omnia sunt falsa: *ep. ad I.* Si *Minorista* exerceret actum sui *Ordinis* solenniter, quatenus est deputatus ad tale ministerium, quod tamen vel nunquam, vel *solum ordinariè* non fit, cum hujusmodi ministeria passim etiam à *Laicis* obeantur, incurritur

De Clerico non ordin. ministrante. 721

pœnas de Jure, utpote universaliter de Clericis loquente. Ad 2. patebit ex tit. seq. Ad 3. Si nullitas proveniret ex defectu intentionis, non incurreret, quia talis tantum simulat se ministrare; bene tamen, si ex defectu materiæ, jurisdictionis, vel subjecti non bene dispositi; quia talis invalide conficiens Sacramentum facit actum Ordinis proprium, quantum est ex se, & talis actus in ratione exercitii prohibiti jam est consummatus.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

SUMMARIUM.

- 1. 2. Clericus exercens actum Ordinis, quem non habet, quas pœnas incurrat.
- 3. An idem dicendum de Laico idem faciente.

Etiam hoc delictum sacrilegii grave est, ac propterea à SS. Canonibus punitur, si nempe Clericus ministrat in Ordine, quem non habet, seu exercet proprium actum Ordinis, quem nunquam suscepit, cum requisita solennitate, seu eo modo, quo ab Ordinatis vi Ordinis potest ac solet exerceri, v. g. si Minorista vel Subdiaconus cum Dalmatica, stola, manipulo cantaret Evangelium in Missa solenni, si Diaconus legeret Missam, si Sacerdos attentaret conferre Sacramentum Confirmationis &c.

Dico. Clericus taliter ministrans serid & culpabiliter ipso facto fit irregularis. 2. Suspendi potest ab exercitio Ordinis ultimò suscepti, 3.

Pars II.

Zz

etiam